

negatione perficitur. Quod cum ita sit, quid tuis obiectionibus respondeam, non invenio. Impossibile ^{a)} tamen scio, eos, de quibus sermo est, donum quod semel susceperunt, aliquibus ad reddendum vel nullis legibus cogi posse. Eorum enim medium erit, quod iusticia ^{b)} non possunt, vi tuebuntur.

Theophilus. Si vi terrena divinę atque humanę leges conculcantur, fidei vigor atque auctoritas infirmatur; quantum autem fides infirmatur, tantum perfidia convalescit. Eo ergo valentius pugnare debemus, dum iam non contra fideles, sed contra perfidos certamen assumpsimus ^{c)}.

Eutitius. Ut superius quoque dictum est, hi nudum donum tacita ^{d)} iusticia ^{b)} defensuri sunt.

Theophilus. Quid nudum donum suppressa iusticia ^{b)} consequatur, satis ostensum puto. Restat igitur, ut qualiter id defendere velint, manifestes.

Eutitius. Iudicio, pugna, sacramento.

Theophilus. Hęc omnia de incertis et dubiis fieri solent. Ego autem incerti ^{e)} et dubii leges non requiro, sed manifesti iusticiam ^{f)} peto; quę si mihi negata fuerit, non ad vestras dubietates, sed ad ecclesiasticorum dogmatum certitudinem me convertens, causam suam Christo consignabo dicens ¹⁾: *Exurge, Domine, iudica causam tuam.*

Eutitius. Ita facere oporteret ^{g)}, nisi ipsi, de quibus sermo agitur, pias preces et divina et humana iura flocci penderent. Sed in tantum eorum efferbuit superbia, ut cum sacros ^{h)} presules ad arma divina recurrere ⁱ⁾ viderint, quasi inertes et ignavos despiciant, seque mutua ^{k)} allocutione ^{l)} cohortantur dicentes: Dimittite ^{m)} hos insanos verberare pectora, era ⁿ⁾ quatere, funes ^{o)} disrumpere, inaniter lectitare, canonicas auctoritates preferre: nos interim castellis et patronis fortibus muniti ^{p)} que invasimus teneamus.

Theophilus. Verum ^{q)} est quod ^{r)} asseris. Quia enim, ut scriptum est ²⁾, non ^{s)} cito profertur iudicium, *absque* retractatione homines per-

^{a)} impossibile BC. ^{b)} iustitia C. ^{c)} zwischen i und m Rasur (ss?) A.
^{d)} tanta BC. ^{e)} fehlt B. ^{f)} iustitiam C. ^{g)} oportet B. ^{h)} sacro A.
ⁱ⁾ recurre A. ^{k)} so ABD; muta C. ^{l)} allocutione BC. ^{m)} das 3. i über der Zeile wiederholt A. ⁿ⁾ aëra C. ^{o)} aus funos korr. A. ^{p)} aus munita korr. A. ^{q)} Ve über der Zeile (Rasur) nachgetragen A. ^{r)} quod über der Zeile (Rasur: ut?) A. ^{s)} non über getilgtem con A.

¹⁾ Ps. 73, 22 (D).

²⁾ Eccl. 8, 11 (D).